Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

domo iacob in eternum et regni eius non erit finis. Dixit
autem maria ad angelum: Quomodo fiet istud quoniam
virum non cognosco? Et respondens angelus dixit ei:
Spiritus sanctus superveniet in te et virtus altissimi obumbra-
bit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius
dei. Et ecce elyzabeth cognata tua et ipsa concepit fi-
lium in senectute sua. Et hic mensis est sextus illi que
vocatur sterilis, quia non erit impossibile apud deum omne
verbum. Dixit autem maria: Ecce ancilla domini, fiat mi-
chi secundum verbum tuum. Lectio ysaie prophete. Isaia xi.
Hec dicit dominus deus: Egredietur virga de radice yesse
et flos de radice eius ascendet et requiescet super eum
spiritus domini, spiritus sapientie et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis,
spiritus scientie et pietatis, et replebit eum spiritus timoris domini.
Non enim secundum visionem oculorum iudicabit neque secundum
auditum aurium arguet. Sed iudicabit in iusticia
pauperes et arguet in equitate pro mansuetis terre. Et percu-
ciet terram virga oris sui et spiritu labiorum suorum interficiet impium.
Et erit iusticia cingulum lumborum eius et fides cinctorium
renum eius. Secundum lucam.
In illo tempore: Exurgens maria abiit in montana cum
festinacione in civitatem iuda et intravit in domum za-
charie et salutavit elyzabeth. Et factum est ut audivit sa-
lutacionem marie elyzabeth exultavit infans in utero
eius. Et repleta est spiritu sancto elyzabeth et exclamavit vo-
ce magna et dixit: Benedicta tu inter mulieres et bene-
dictus fructus ventris tui. Et unde hoc michi ut veni-
at mater domini mei ad me. Ecce enim ut facta est vox sa-
lutacionis tue in auribus meis exultavit in gaudio infans

feria vi lectio ysaie

secundum lucam